DE

NEURALGIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM RITE OBTINENDAM

IN SCIENTIARUM UNIVERSITATE PATAVINA

OFFEREBAT

JO. ANGELUS DE DOMINI

FOROJULIENSIS EX SEQUALS

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA.

1838

DE NEURALGIA

Omnes systematis nervosi partes mutuo commercio secum inter colligatae, harmonicam plurium organorum vicissitudinem, consensumque reciprocum constituunt, qua propter mutuo adficiuntur; ex hoc illa, quam dicimus *sympathiam*, emanat; ad quam late propagandam nervorum plexus, nec non ganglia valde conferre existimamus, qui plexus et ganglia, hacce excepta, aliam quoque utilitatem in plerisque summi momenti functionibus praestare posse arbitramur.

Praeterea forsan non ratione destituta Blumenbak videtur opinio, qui docet nervos aliquem in calore animali influxum exercere, ea innixus observatione, quod medulla spinali, aut trunco aliquo nervoso destructo, calor animalis valdopere imminuitur. Nec viri defuerunt doctissimi, qui in nutritione quoque influxum aliquem concederent: namque illorum impedita actione, nutritio deficit et sufflaminatur, partes tabe corripiuntur, marasmo, atrophia, ob vitium atque debilitatem systematis nervosi. Ex hisce patet adeo stricte vitae principium cum vi nervosa consociari, ut laesa nervorum vi, vita ipsa laedatur oportet. Nervorum systema in genere variis corripitur morbis.

a) Prout ipsorum compages subvertitur, quippe quotidie in traumaticis laesionibus observatur, et ab actione deleteria gravissimorum morborum vicinas partes laedentium, gangraena, carcinoma, etc.

b) Prout eorundem functionibus rite exercendis in variis organis sensuum, locomotionis, nutritionis etc., alius indolis causae existunt. Hinc vesaniae, spasmus, convulsiones, tum tonicae, tum clonicae, paralysis, tetanus, crampus, hysteria, et similia. Nervi autem non secus ac caeterae humani corporis partes, praedictis affectionibus obnoxii, ipsaeque suis propriis characteribus dignoscendae, ab illa quoque morbosa forma corripiuntur, quae neuralgia nuncupatur. De ista ergo aliqua in medium proferre, per quantum vires meae permittunt, cogitavi.

Omnes nervosi morbi saepe saepius sine prodromis incipiunt, sine ordine procedunt, inopinato, et absque patenti causa terminantur, et recurrunt: symptomata mox unam, mox alteram individui partem morbose adfectam esse indicant, et vario modo permutantur. Praeter causarum praegressarum cognitionem, et ordinis et successionis symptomatum, ad diagnosim morborum nervosorum, non parum confert observatio juvantium et laedentium tum quoad omnes res externas, tum quoad remediorum administrationem. Etenim si remedia optima, et opportune adhibita, nil juvant, imo morbum exasperare vi-

dentur, vi symptomatibus manifesto nervosis stipatus est morbus, jure meritoque suspicandum est systema nervosum non secundario affici, verum primario adfectum esse, quod ex attenta observatione clarius evadet. Omnes fere auctores in eo conveniunt, quod laesiones sensus et motus, absque febri primaria, a systemate nervoso adfecto repetendae sint. Symptomata quae nobis systematis nervosi affectiones manifestant quamplurima sunt, et ab aliis distinguuntur.

Fere semper de repente accessus neuralgiae invadunt, modo symptomata praevia adsunt, haec autem constituuntur: ab anxietate summa in praecordiis, respiratione difficili, suspiriis intercaepta, pruritus in parte, vel sensus formiculationis, frigus excurrens per omnem partem afficiendam. Violens progressu morbi dolor intolerabilis ad instar instrumenti pungentis, vel quasi flammae urentis, vel dilacerantis. Interdum etiam fluidi intus decurrentis sensus percipitur, quod e ramis ad nervorum extremitates decurrit. Dolor adeo dirus aliquando evadit, ut ad syncopem trahat, vel ad furorem miser aeger ducatur, et mortem a circumstantibus impetretur. Dolor vel in puncto fixus remanet, vel vivido praegresso dolore in parte altera, confestim quippe aura electrica, per varias ipsius propagines discurrit, nunc eandem constanter retinet partem, nunc ad alias evectus, prompte in pristinam redit sedem. Non raro dolor dicto citius evanescit, vel

ad minuta perdurat, integram horam vel horae partem, quin imo ad diem unam cum dimidia indesinenter productum vidit Santer. Interdiu frequentius accedit, rarius de nocte sponte invadit. Irregularis ut plurimum ipsius invasio, quandoque et typum intermittentem servat. Neuralgiae accessus initio mites et breves sunt, frequentiores et diuturniores in progressu evadunt. Sponte accedunt, sed et a laevissima causa excitantur; etenim minimus aliquando voluntarius musculorum motus neuralgiam determinare valet. Interea tamen vehementior compressio in parte dolente instituta doloris moderat vim.

Quoad morbi indolem multae sunt auctorum opiniones. André enim neuralgiam ab humoris fluxione repetit. Fothergill cancerosam naturam, Weisse oedematosum decubitum videt. Clarissimus Brera rheumaticam neuralgiarum causam defendit, et merito Dupontii adversatur asserto, qui primam neuralgiae causam ab imminuta vi vitali repetit. Pujol indolem spasticam ab electrico fluido inductam. Sprengel et Simon arthriticam dispositionem observant; Hartmann ab imminuta irritabilitate partis dolentis; Hildenbrand ut febrem intermittentem larvatam considerat; Tommasini a lento et obscuro phlogistico processu neuralgias derivat. Quorum eximiorum virorum scriptis innixus in ampliore demonstratione minime immoraturus ad morbi aethiologiam progredior.

Si phlogosi nervus corripiatur, praefati dolores insurgunt; vascula enim tunicaeque ipsius nervi a sanguine, sero, vel lympha exsudata premunt nervi medullam. Quum vasculorum incendium in intimam nervi fabricam penetret, et sanguis inflammatorie mixtus, nimiaque copia advectus ipsam medullam adficiat, commutatur conditio sanae medullae, ejusque vegetatio intenditur. Mixtionis sanae mutationem acutamque materiae vicissitudinem sequitur virium vitalium incrementum, e nimia irritabilitate medullae morbus exoritur, et en gravior causa doloris, a qua insuper dirae neuritis symptomata proficiscuntur. Verum talis tantaque est morbi violentia, atque pertinacia, ut voluntarius quicumque musculorum motus praepediatur. Somnus recedit, et efficacia eluditur opii, aliorumve narcoticorum, etiamsi magna dosi propinentur. Sub accessus fine, pulsus minus irritatus et mollior, tumor oedematosus, exsudatio serosa, tumores molliusculi ac phlegmonoidei diversae magnitudinis, quales in arthriticorum articulis observantur, non raro occurrunt. Repetitis accessibus, morboque progrediente, in parte diutius adfecta macies et levis atrophia suboritur, et musculorum partis adfectae semiparalysis in scenam prodit. Morbo diutius perdurante, corporis constitutio generalis mutatur, propter ventriculi virium labefactatione anorexia adest, propter intestinorum torporem, alvus fit tarda, pertinacibus viscerum physconiis

additur hypochondria, tristitia, animi dejectio, atque ita morbus in cachexiam, corporis atrophiae consociatam transire solet. Infantia excepta, non sexus, non aetas ab hocce morbo immunes reddi, contra Fothergillii opinionem, plures fide digni auctores comprobarunt. Et revera Gunterus neuralgiam in puella annorum IX observavit, dum Hartmann eam invenit in viro LXXX annorum. In quocumque climate contra humanum genus pugnat; clima vero frigidum et humidum certe prediligit.

Quum vero de neuralgiae causis aliquid nobis dicendum sit, eas in mechanicas, humorales, atque vitales distinguimus. Inter mechanicas recenseri merentur: laesiones, pressiones, distensiones, vulnera omnia quae in nervis vel vicinis partibus exercentur. Humores a propria natura degenerantes, quomodocumque hoc fiat, quippe stimuli sunt recensendi, utque causa pertinax et inhaerens, qua non ablata, secundarii solidorum morbi in dies affligere pergunt; quamquam cum veteribus humoristarum doctrinis morborum essentiam in humorum vitio modo reponendam esse minime censeamus. Morbi indoles magis generalis rheumatica est, quapropter a totius corporis perfrigeratione suppressa transpiratione cutanea, rusticis hominibus infesta, divitibus vero minus. Non raro arthriticam causam neuralgia agnoscit sive a generali arthritica totius corporis dispositione, sive ab ipsius nervi metastasi pen-

deat. Non defuerunt auctores qui inter neuralgiae causas diathesim scorbuticam, suppressam urethrae blennorrhagiam, vel mulierum leucorrhoeam, cutaneos morbos sponte evanescentes, recensendas esse opinarent. Acuta vel chronica neurilematis inflammatio, vel substantiae medullaris nervorum; quaecumque irritatio in nervis inducta, eorundem erethismus, vel sensibilitas adaucta, ad neuralgias gignendas satis sunt. Utero in foeminis primario morbose adfecto, secundaria aut sympathica neuralgia non raro exoritur; nec rara est neuralgiae invasio sub amenorrhoea, praesertim si aetas declinare incipiat. Extremitates quoque inferiores morbose constitutae, sudor habitualis suppressus, vel aliae evacuationes, mucoso-serosae aut cruentae, praesertim haemorrhoidum, vitae genus, neuralgiam possunt determinare. Huicce morbo qui metalla pertractant summopere disponuntur. Halitus mephiticus, odores in genere omnes, venena praesertim narcotica, abusus spirituosorum, somnus diurnus post lautas epulas in hunc morbum proclivitatem ingenerant.

Juxta causarum rationem neuralgiae distingui possunt in topicas et generales, a vitio totius systematis, aut partis alicujus tantummodo. Topica a causa quacumque mechanica vel humorali, trunco aut nervorum ramis inhaerente, a processu vitali ipsi nervo proprio; generalis vero a plethorico corporis habitu, constitutione arthri-

tica, podagrica, hysterica, aut hypochondriaca passione. Iterum dividuntur, a suppressis consuetis evacuationibus et retropulsis cutaneis morbis, in primarias et secundarias

Neuralgiae anomalae a Chaussier descriptae sunt: dolores acuti, irregulares, chronici, a tuberculo vel gangliis inter cutis laminas recondito, super nervorum ramum sedente, ab hoc quippe centro, ad ipsius nervi ramulos progredientes. Item dolores ab accidentali contusione aliquem nervosum filamentum laedente, ecchymosin vel oedema producente, comitante obtuso doloris sensu per pressionem adaucto; affectiones denique dolorificae, vel spasticae brachii, vel pedis a phlebotomia infeliciter praegressa, vel coxae vulnus concomitantes. Affectiones istiusmodi sunt semper locales, neque rubore, calore, tumore, et febri concitati.

Quod prognosi spectat, neuralgia fere nunquam lethalis, sed diuturnitate, et doloris atrocitate, frequentia, et indomita ipsius natura, molestissima chronica admodum est affectio, ad annos quamplurimos, perque totum vitae decursum quandoque divexans. Ægroti vitam miserrime degunt, in sola morte remedium sperantes. Interea tamen sanitas illa quae per multos menses remediorum ope quaerebatur, spontanea redit. Persaepe quum neuralgia, sive arte adjuta, sive nullo remedio finitura sit, sedem mutat; rarissime vero conticescit, absque aliqua evidenti suborta

corporis mutatione; ut plurimum quaedam salutares praecedunt evacuationes. A copiosa haemorrhagia producta ab artificiali recisione, levamen indubium, quoad doloris vehementiam atque accessum frequentia, (si André observationibus fidem praestemus) sperare licet. Abscessu efformato et fonticulo in loco abscessus instituto (Siebold); a capitis vulnere suppurato (Gunter); a scabie in cute denuo prodeunte (Band); a blennorrhoea in urethra revocata (Ihillen); Hartmann demum a redeuntibus menstruis et haemorrhoidibus neuralgias pertinacissimas sanari arbitrantur. Attamen saevus morbus quandoque pertinax heu nimis persistit, et medicinae et medici auxilia aspernatur, (haec est Fothergillii sententia) qui malum immedicabile declarat, nec remediis efficacissimis cessurum. Tunc transit morbus in partis adfectae semiparalysim, vel in spasmo permanente; alias chronicum oedema in parte adfecta exoritur, levi etiam macie, et atrophia corripitur pars; alias cancrum oboritur, denique cachexia in mortem desinit. Neuralgia recens, quae periodicos accessus agnoscit, quum pro tempore medicus vocetur, feliciter solvitur. Anomala e contra, cujus insultus instantanei et frequentes sponte aut levi de causa accedunt, quampervicax efficacissimis etiam reluctatur remediis, praecipue in senectute, etsi chronica facta fuerit. Quando neuralgia morbus est secundarius, a rheumate, podagra, scabia, aut herpete retropulso, exsiccatis

ulceribus, aut consuetis suppressis evacuationibus, hisce denuo in propriis sedibus revocatis, aut rursus apertis, cura statim vel prompte obtinetur. Pariter dicendum si a vitio generali pendeat morbus, syphilitica, cancerosa, scorbutica, arthritica, corporis constitutione; morbo primario superato, neuralgiae cura subsequitur. Quae a causa locali progignitur, si ipsa arte amoveri potest, curatur; si non, in pejus ruit. Neuralgiae sympathicae prognosis eadem est, ac morbus a quo procedit: cedit interdum narcoticorum usui. Indomita morbi natura a commendatorum remediorum farragine. *Nullibi enim*, docente Frank, *medicina auxilii tam egena est, quum ubi majores remediorum divitias pro una eademque aegritudine possidere gloriantur theorici.* Generatim loquendo ubi de neuralgia agatur, methodus antiflogistica non solum ope venae sectionum, et verum etiam hirudinum adplicatione, et diluentibus, attenuantibus, purgantibus, atque diaphoreticis est indicata. Quando procedit a generali totius corporis morbosa constitutione, plerumque haereditaria, sanatio difficillima evadit. Quoniam obscuris stipatur symptomatibus, viscerum abdominalium status sedulo inquirendus, quorum physconiae, emeticis, anthelminthicis, amaricantibus et resolventibus, ex gummi ammoniaco, sapone veneto, et resina guajaci, juxta methodum Laugier et Bohemer, solvantur.

Nec blanda purgantia sunt negligenda, quae

ad praecavendas hujus morbi exacerbationes conferunt quammaxime, dummodo drastica et aloës praeparata omnino vitentur, et habitus corporis, vitae regiminis, sensibilitatis et irritabilitatis temperamenti ratio habeatur. In secundariis neuralgiis primariae aegritudinis ratio est habenda; hinc haemorrhoidalis fluxus, menstrua, blennorrhoea, leucorrhea, sudor etc. suis sedibus revocanda. Quoad vitae regimen, diaeta tenuis, modica, lactea semper profuit: vitanda alimentorum copia, ventriculi defatigatio, nimius usus ciborum fermentatorum, et potus alcoholici. Ad sanationem non parum corporis exercitium, jucundae peregrinationes, rusticus incolatus conferre videntur.

Neuralgia periodica regularis, simplex, cortice peruviano feliciter curatur, praesertim si, ad opus, emeticum, vel purgans, et antispastica simul juncta exhibeantur. Balnea thermalia non raro utilia sunt ad statum chronicum superandum. Nec multam fidem arnica et valeriana ad hunc morbum debellandum merentur; et quamquam in soporibus et paralyticis affectionibus summopere commendentur, in neuralgia vero, ubi dolor et spasmus essentiam morbi constituunt, parvi facienda sunt. Anomala vero neuralgia hypochondriacae vel hystericae indolis, quum pendeat a generali totius corporis vitiata constitutione, medici nisus, remediorumque vires eludit; ad narcoticorum et stupefacientium omne genus confugerunt auctores. Extractum cicutae magnis do-

sibus cum sulphure aurato antimonii symptomatum minuit intensitatem. Extractum hyosciami cum floribus zinci ad scrupulum in die, refractis dosibus, admonente cl. prof. Brera, diutius perseverando, curam absolvit. Idem professor quamplurimas neuritides cum acetato et sulphato morphinae feliciter curavit. Belladonnae foliorum pulvis vel radix a tenui dosi, ad scrupuli dimidium in die refractis vicibus; tinctura aconiti, stramonii extractum ad quartam grani partem semel aut pluries de die, additis etiam mercurialibus praeparatis, felici cum eventu adhibita fuere. Ad arteriosi atque nervosi systematis vim et potentiam augendam opium, ad infringendam vero tinctura digitalis purpurea a Cuvier laudatur, et celeberrimus Tommasini aquam laurocerasi decantat. Permulta remedia praedicantur in varias neuralgias a variis auctoribus.

Inter topica praesidia frigus quocumque modo adplicitum neuralgiae intensitatem minuit, doloremque compescit. Calor e contra fere semper deprehensus doloris vehementiam adauget; frigus quoque debita cautela admovendum, praesertim ubi causa vel rheumatica sit, vel cutanea. Trunci nervosi compressio bene cedit, dummodo unus tantum nervorum ramus afficiatur. Frictiones aridae et siccae valde prosunt, nec non compositae ex liquore anodyno, camphora, opio, etc. Partis adfectae scarificatio, ubi de plethora partiali suspiciatur, levamen promptum praebet. Ischiades plu-

ries curavit Cotunnius cum sanguine ex poplitea, aut malleolari externa vena educto. Attamen memor medicus proximam neuralgiae causam in adaucta nervorum sensibilitate reponi, cautus sit in sanguine mittendo oportet. Si suppressae cruentae excretiones morbo ortum praebuerint, generales sanguinis missiones minus frequenter usurpando, topicae utilius instituuntur, quae systematis vires non adeo infringunt, hinc hirudines, et cucurbitas locis dolentibus melius esset adplicare. Ex eadem ratione vesicantia, fonticuli, et cauteria diutius aperta, et suppurantia servata in partibus vicinis chronicam localem destruunt inflammationem, vel partialem plethoram imminuunt. Interim antimonialia cutaneae transpirationis aequilibrium restituunt. Neuralgia a causa physica vel humorali ipsi nervo inhaerente progenita localem omnino morbum constituit, et hinc auxiliis topicis et chirurgicis medetur; causas mechanicas, tumoresque subortos auferendo, aut ramum nervi exclusive affecti caute secando, irritis caeteris praesidiis. Tinctura foliorum belladonnae, frictiones cum aethere vitriolico, linimentum volatile, vel lintea liquida ammoniaca madida, et dolenti loco adplicata, juxta Tyllenii methodum, usquedum escara progignatur. Calville picis navalis ope, frustra adhibita arteriotomia, hyosciamo et oxido arsenici pertinacissimam sanavit neuralgiam. Unguentum mercuriale valde in quacumque fere neuralgiae spe-

s'14

cie et periodo Bellingerius commendat. Frictiones quoque ex mercurio dulci institutae palmarium esse in neuralgia remedium absorptionem promovendo Soemmering asseruit.

Posteaquam omnia quae potui colligere remedia ab auctoribus propinata indicavi, medici prudentiae est illud seligere, quod magis indoli et stadio morbi credit convenire: neuralgiarum doctrina generalis hucusque breviter, per quantum vires meae permiserunt, exposita, levi negotio ad diversas hujusce morbi species accommodatur habita essentialium differentiarum ratione:

1.° Juxta peculiarem sedem nervi affecti, ejusque ramificationes.

2.° Juxta indolem causarum; hinc quoque therapeuticae indicationes.

En ad finem perveni hujusce tenuissimi laboris mei, et me fortunatissimum existimabo, tum cum considerantes quod hujusmodi opus partus est juvenis vix ex scholis exeuntis, ipsius tenuitati indulgeatis.